



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

II. Proponitur prima quæstio; An politica potestas sit bona, & Christianis
licita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

debeat hæreticos ab Ecclesia iudicatos, & damnatos punire, tam in libris eorum, quàm in facultatibus, & in personis, etiã vsq; ad mortem.

CAPVT II.

Proponitur prima questio; An politica potestas sit bona, & Christianis licita.

ST vna ex præcipuis hæresibus Anabaptistarum, & Trinitariorũ huius temporis; Non licere Christianis gerere Magistratus, nec debere esse vllõ modo inter Christianos prætoria, tribunalia, iudicia, ius gladij, &c. Ministri, qui in Transyluania, Trinitatem, & Incarnationem, & paruulorum Baptismum oppugnant; ediderunt anno M. D. LXVIII. Albæ Iuliæ, Antitheses Christi veri & falsi; quarum VII. est; Christum falsum habere in sua Ecclesia Reges, Principes, Magistratus, gladios; Christũ verum nihil tale in sua Ecclesia pati posse.

Argumenta eorum hæc sunt, vel certè esse possunt. PRIMVM, ex Scriptura, Matth. 17. *Reges Gentium, à quibus accipiunt tributa, &c. ergo liberi sunt filij.* Et Luc. 22. *Reges Gentium dominantur eorum, non sic erit inter vos.* Rom. 13. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* 1. Cor. 7. *Prelio empti estis, nolite fieri serui hominum.* 2. Corinth. 8. *Vnus Dominus.* Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus.*

SECUNDVM, ab exemplis; nam plerique Principum abutuntur potentia, & nõ solum non profunt, sed etiam obsunt Reipub. vt patet in ipso initio mundi de Cain Genes. 4. de filiis Principum Genes. 6. qui accipientes varias vxores, corrupti sunt omni scelere, & corũ causa postea venit diluuium. Item de Nemrod, Pharaone, Nabuchodonosor, & de Saul, Roboam, & ceteris; nam post diuisionem regni, ex Regibus Israël nullus fuit bonus.

TERTIVM, à sine; nam Magistratus permissus fuit Iudæis propter imperfectionem temporis. erant enim pueri Iudæi, & idè regi debebant ab alio, vt patet Galat. 4. at nos viri sumus perfecti, & vnctio docet nos de omnibus.

QUARTVM, ab efficiente; nam ista potestas nõ est à Deo intro-

intro-

introducenda, sed ab hominibus tyrannicè usurpata; quomodo
fecit Nemrod Regem? quis Nabuchodonosor? quis Nino?
quis Alexandrum? quis Iulium Cæsarem? quis alios? hinc
datur ille pyrata, qui respōdit Alexandro, ego quia cum
no ligno discurre, pyrata dicor; tu quia cum magna
orbem terrarū spoliis, Imperator diceris. Augustinus lib.
de ciuitate Dei, cap. 4. ex M. T. lib. 3. de Repub.

QVINTVM, ab origine; nam Deus creauit homines
berum, & per peccatum introducenda est subiectio; ergo
peccato per Christum liberati sumus, etiam à subiectione
se debemus. Antecedens patet; nam Gen. 1. non dicitur: Do-
minamini hominibus, sed: *Dominamini piscibus mari.*
Item mulier nunc nō subiecitur viro, nisi politica subiectione,
& tamen hæc subiectio per peccatum introducenda est,
patet Genes. 3. *Sub Viri potestate eris;* & præterea ante
uium primus, qui condidit ciuitatem, & inchoauit regnum
politicum, fuit Cain, vt ex Genes. 4. deducit Augustinus lib.
15. de ciuitate Dei, cap. 1. post diluuium primus fuit Nemrod
Genes. 10.

Denique id clarè docent Patres. AVGVSTINVS lib. 15.
ciuitate Dei, cap. 15. rationalem factum ad imaginem
noluit Deus nisi irrationalibus dominari, non hominibus
hominibus, sed hominem pecori; inde primi iusti Pastores
gis pecorum, quàm Reges hominum constituti sunt, vt
etiam insinuat Deus, quid ordo postulatet creaturarum
& quid meritum exigeret peccatorum. GREGORIVS lib. 12.
moral. cap. 11. *Omnes homines natura æquales genuit,*
variante meritorum ordine, alios aliis dispensatio occulta
postponit, ipsa autem diuersitas, quæ accessit ex vicio, rectè
est diuinis iudiciis ordinata, vt quia omnis homo iter vitæ
non æquè graditur, alter regatur ab altero; similia habet
Pastorali, part. 2. cap. 6.

Hanc hæresim non solùm Catholici omnes execrantur,
ac præcipuè B. Thomas in opusc. 20. & omnes Philo-
sophi, sed etiam Philippus Melanchthon in locis, cap. de ciuili Ma-
gistratu, & Ioannes Calvinus lib. 4. Instit. cap. 20. acerrimè
& fufillimè oppugnant, & Lutherus ipse in visitatione Saxe-
nica, etsi ab ipsius verbis in Babylonica captiuitate, cap. de
Baptismo, occasionem sumpserunt Anabaptistæ.

Nos eam quinque argumentis refellemus; nam tot etiam sunt aduersariorum fundamenta. Primò, ex Scripturis. Secundò, ex exemplis Sanctorum. Tertiò, ex fine seu necessitate. Quartò, ex causa efficiente. Quintò, ex origine.

CAPVT III.

Ex Scripturis asseritur politicus Magistratus.

QVANTVM ad PRIMVM, Scriptura Testamenti veteris plena est testimoniis. Exod. 22. Iudices populi à Deo ipso vocantur Dij, sicut etiam Psal. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat;* cuius vocabuli rationem explicat Iosaphat 2. Paralip. 19. ubi dicit iudices non hominum, sed Dei iudicia exercere, id est, loco Dei iudicare. Et similiter Deuter. 1. monet Moyses iudices populi, ut iustè iudicent, quia Dei iudicium est. & Christus Ioan. 10. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, &c.* Vbi Christus vult dicere; Si Principes Deus vocat Deos, quia ad illos mandatum diuinum factum est, ut iudicent loco suo, cur non magis, &c. non enim quadrat quod alij dicunt, vocatos Deos eos oēs, quibus Deus loquutus est; si ergo Principes vocantur Dij, quia locum Dei tenent, non potest reprehendi munus Principum, nisi reprehendatur Dei ipsius munus.

Præterea Deut. 17. describit Moyses leges Regi futuro, & in libro iudicum, cap. vlt. in vltimis verbis reddere volens Spiritus sanctus causam omnium malorum, quæ acciderunt illo tempore, dicit: *In diebus illis non erat Rex in Israël, sed vnusquisq; quod bonum sibi videbatur, hoc faciebat.* In eodem libro Iudicum, & in lib. Regum passim habemus Deum excitasse Israël iudices, aut Principes, per quos populum liberaret. Prouerb. 8. *Per me Reges regnant.*

Respondent Anabaptistæ, Iudæis fuisse permittos Magistratus propter imperfectionem; at aliam rationem esse Testamenti noui.

AT contra; nam in primis Prophetæ prædixerunt omnes Reges terræ seruituros Christo, & Ecclesiæ: quod non potest fieri, nisi in Ecclesia sint Reges Psalm. 2. *Et nunc Reges intelligi-*

selligi-